

FACULTATIS JURIDICÆ DECANUS  
**ERNESTUS TENZELL,**

**JCTUS,**

CONSILIARIUS REGIMINIS ELECTORALIS,  
JUDICII PROVINCIALIS ERFURTENSIS ASSESSOR, ET  
CIVITATIS CONSUL PRIMARIUS, ET RELIQ.

*AD LECTIIONEM CURSORIAM*

SUPER

*L. cum quidam 19. ff. de Lib. & Posth.*

Hacque finita

AD

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

*Sistentem*

**DECADEM QUÆSTIONUM  
JURID.**

A

*Nobili & Clarissimo Jurium Candidato,*

DOMINO

**JOHANNES CHRISTIANO**

*Simmermann / Bleddinens. Saxo.*

IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI  
HABENDAS,

Omniū Ordinū Auditores decenter invitat,

Et simul,

De

**EXHEREDATIONE**

Nonnulla differet.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Academiae Typogr.

Diss. jur. civ.

520, 48



Riginem Testamentorum antiquis-  
simam esse ex illo *Ciceronis*, eam ad  
affectum Hominis, quem erga Po-  
steros habet, referentis, patet. Ita  
enim inquit lib. 3. *de Fin.* *Quoniam*  
*illa vox inhumana, & scelerata du-*  
*citur eorum, qui negant se recusare*  
*quò minus ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio con-*  
*sequatur: Certè verum est, etiam iis, qui aliquando futuri*  
*sunt, esse propter ipsos consulendum. Ex hac animarum af-*  
*fectione, Testamenta, commendationesque morientium, na-*  
*tae sunt, &c.* Hinc apud plerasque Gentes aliqua Testa-  
mentorum factio observata est, non quidem eodem ri-  
tu, & diversa sæpè formâ observatâ, sancta tamen sem-  
per habita fuit ultima Testatoris voluntas. Quod ho-  
minum institutum ipse quoque Summus Legislato-  
r, DEUS, approbavit Es. 38. v. 1. Dum Ezechiam ægro-  
tantem Testamentum facere jubet, verbis sec. vulgatam:  
*Dispone Domituae.* Sec. versionem Castali: *Facito Testa-*  
*mentum, propterea sc. quia morieris tu, & non vives.*  
Apud Romanos quoque ex antiquissima Lege XII. tabb.  
testamenti factio descendit, l. 120. ff. *de V. S.* Testamen-  
ta

ta autem vim accipere ex heredis institutione dicuntur,  
& ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur to-  
tius testamenti, heredis institutio in §. 24. *Inst. de legat.*  
Quod tamen de exheredatione non minus dicendum sec.  
J. Cum *Cajum in l. inter cætera 30. ff. de lib. & Posth. her.*  
*inst. & Imper. in pr. Inst. de ex her. lib. add. C. J. A. ad tit.*  
*de lib. & Posth. tb. 28.* Cum jus institutionum ex lege li-  
beris tributum, ut velint, nolint, debeant esse heredes,  
non potuerit in alium transferri, nisi illis prius sit adem-  
tum modo legitimo. arg. *l. 35. ff. de R. I. §. f. J. de leg. agn.*  
*tut.* Licet autem lex quasi naturalis quædam tacita, Pa-  
rentum hereditatem liberis addicat *l. 7. in pr. ff. de bon.*  
*damnat.* & votum Parentum sit liberis parare, & locu-  
pletare eos, *l. 7. ff. si tab. test. null. ext.* Et hinc maxime  
providendum, ne quid iniquè liberis accidat. *Auth. nunc*  
*autem, post L. 20. C. de Ep. & Cler. l. 7. in f. ff. unde lib.* Et  
si fortè accidat, quod liberi sint præteriti, tamen non con-  
sulto sed ex oblivione omis si præsumuntur, §. *posthumi,*  
*verb. ne oblivionem J. de ex her. lib.* cum ea semper exo-  
riatur juris præsumptio, Parentes nunquam à successio-  
ne suâ voluisse excludere liberos *Alciat. tr. de præsumt. lib.*  
*l. pres. 8.* Cum tamen & proh dolor! experientia teste,  
sæpè a naturali amore & reverentia ergà Parentes dege-  
nerent liberi, indè & Parentum animum mutari mirum  
non est. Ita apud *Græcos* antiquissimis temporibus u-  
sitatam fuisse abdicationem, qua Pater filium familia e-  
jiciebat, & ita à se abalienabat, ut ne amplius esset filius  
ex *l. 6. C. de Pat. pot. constat, v. Hug. Grot. de J. B. & P.*  
*Lib. 2. 7 § p.* quæ tamen Romanis non comprobatur a ibi-  
dem dicitur. Sed ejus loco exheredatio, *l. p. C. d. t.*  
quæ inde sæpè abdicatio, vel communi nomine ἀπαρχήσις  
) ( 2 ) dicitur

dicitur in Basilicis. *Alciat. lib. 2. Dispunct. c. 28. Sub. Diff. 9. th. 43. seq. add. Gothofr. in not. ad d. l. 6.* In populo DEI maledictio Parentum loco exheredationis erat, cujus exempla occurrunt *Genes. 9. 49. & alibi*, Sicuti benedictio institutionem significabat, exemplo Isaaci, *Gen. 27. v. Tib. Decianus Vol. 4. Resp. 51. n. 54.* Exheredatio verò generaliter quidem denotat remotionem ejus, qui quocunque modo futurus heres erat, sicuti dicitur, qui præcedenti testamento aliquo, heredes instituti erant, si post ab eâ hereditate removeantur *l. Paterfamilias 44. ff. de hered. instit.* Strictissimè sumitur pro abscissione juris sui heredis, cum is, qui suus heres testatori futurus erat, summovetur ut in *l. si quis 9. §. 2. ff. de lib. & posthum.* latius verò significat exclusionem etiam aliorum, qui ab intestato ad hereditatem venturi essent, *v. Nov. 115. c. 4. Biccus in Aur. Juris Justin. sect. 3. th. 82. lit. ff.* Quare verò antiquitati apud Romanos placuerit, aliam exheredationis formam circa filios, aliam inter reliquos liberos adhibere: *v. pr. J. de Exher. lib.* solet illa ab interpret. dari ratio, quod arctius videatur conjunctus filius, quàm filia, quæ nubendo in alienam domum transgreditur *l. p. ff. de agn. lib.* Undè non immeritò ab Ulpiano in *l. 195. §. fin. ff. de V. S.* nominis & juris familiæ suæ caput & finis dicitur. Quia vetustas masculos plus diligebat, uti dicitur in *§. item vetustas 15. J. de hered. quæ ab intest.* & quod fœminæ in multis sint deterioris conditionis, quàm masculi *l. 9. ff. de stat. hom.* Quæ tamen juris subtilitas absurda, & Naturæ inimica visa Justiniano, cum utraque persona in hominum procreatione simili officio fungatur, sublata fuit in *§. 5. Inst. de Exher. lib.* Cujus verba notatu digna in *l. Maximum 4. C.*

C.

*C. de lib. præter. occurrunt: Qui enim tales differentias inducunt, quasi Naturæ accusatores existunt, Cur non totos Mascaros generavit, ut unde generentur, non fiant. Istam autem exheredandi liberos potestatem ex Ll. 12. tab. illimitatam Patri competiisse videtur l. 120 ff. de V. S. tum præcipue ob vim Patriæ potestatis, quæ tanta fuit, ut leges veteres Patri filios occidere, & vendere concessoerint l. 11. ff. de lib. & Posth. l. f. C. de Patr. pot. l. 5. ff. ad L. Pomp de Parrid. tum etiam, quod verisimile esset, Parentem sine causâ hoc remedio non esse usurum. Post verò introductum, ut liberi immerito exheredati, uti possint querela inofficiosi testamenti, vel etiam certis casibus, querelâ nullitatis, præsertim secundum Jura Novellarum, ubi certæ exheredationis causæ statutæ. Singularis verò est exheredatio Parentum hac intentione facta, ut liberi non damnum, sed utilitatem inde accipiant, vid. l. 18. ff. de lib. & posth. l. 16. §. 2. ff. de curat. furios. l. 47. de bon. libert. Quæ Jctis bona mente, vel bona gratia fieri dicitur, v. Rittershus. ad Nov. p. 6. c. 3. n. 22. & hinc non nisi improprie & abusive exheredationis nomine venit Bald. ad auth. ex causa C. de lib. præter. n. 42. sub fin. Quæ tamen minus recte à nonnullis tam late extenditur, ut non solum quocunque modo ratione testamenti paterni, sed etiam in testamentis liberorum ex identitate rationis locum sibi vindicare existiment. Rectius talem exheredationem ad duos tantum casus restringendam tradit D. Berger. Disp. de omissione hereditatis th. 64. cum præter casus in legibus expressos, vix admittenda sit. Illam tamen adhuc hodie post Nov. 115. valere recte notat D. Berger. Oecon. Jur. Lib. 2. Tit. 4. §. 14. not. 3. Prætereâ  
ut*

ut ad exheredationem propriam redeamus, requiritur ut exheredatio fiat pure, non sub conditione *l. 3. §. pure ff. de lib. & Posth.* Ubi tamen à Dd. conditio casualis excipitur, quando filius institutus heres, sub casuali conditione, & in defectum ejus exheredatus v. *l. 4. C. de instit. & substit.* Nec etiam exheredatio fieri potest in parte aliqua, sed fieri debet à tota hereditate. per. *l. cum quidam 19. ff. de lib. & posth. her. inst. i. e.* ut explicat *Duarenus* à jure certo non à certa re. Nam si à certa re filium removerit Pater, v. g. à certo fundo, non dicitur exheredatum esse, sed habetur pro præterito & testamentum nullum est. Non ergò rectè colligitur ab institutione heredis ex re certa, ad exheredationem, uti facere videtur *Wesenbec. ad pr. Inst. h. r.* Cum omnino diversa adsit ratio, institutio enim favorabilis est, exheredatio verò odiosa, & restringenda. Sed plura de his occasione hujus legis 19. in *Lectioe sua Cursoria* proponet

*Nobilis & Clarissimus Dominus*

**JOHANNES CHRISTIANUS**

**Simmermann/**

*Bleddinensis Saxo.*

De cujus vitæ curriculo sequentia more consueto nunc referenda. Editus is est in hanc lucem favente Div. N. Anno 1695. die 13. Dec. piis ac honestis Parentibus, Patre, Plur. rev. & Clariss. Dno M. CHRISTIANO Simmermann/ Bleddinensi Pastore fidelissimo, Matre ANNA, Dni JOH. FRIDERICI BUXBAUMII Medic. Doctoris & Physici quondam Civitatis Grimmenfis, felicissimi, unicâ Filia. Cujus Avi Mater-

ni

ni memoriam & nunc piè post fata veneratur; Paren-  
tibus verò superstitionibus Nestoreos annos precatur. O-  
ptimi hi Parentes de filioli educatione solliciti, secun-  
do statim ætatis anno, ad decimum tertium usque, in-  
formationi Dni HIERON. SCHIRLIZII, Ss. Theol.  
Cand. eum tradiderunt. Sub cujus manuactione ita  
profecit in literis, ut Anno 1708. ad Lyceum Electo-  
rale, Porta, Schuhl. Pforte dictum, missus fuerit. U-  
bi præ aliis Lectiones publicas Præclari tunc temporis  
Reactoris, Dni M. CHRISTOPH. HARTMANNI  
nec non Conrectoris, Dn. M. JOH. CHRISTIAN.  
HEIDERI grata mente laudat. Elapso quadriennio  
cum laude publicè dimissus, ad altiora Studia *Viteber-*  
*gam* anno 1712. jussu Dn. Parentis, se contulit, ubi  
primo loco in Philosophia per singulas partes pertra-  
ctanda sollicitus fuit, præeunte Dn. CASPARO BREN-  
DELIO, J. U. D. Reliquis annis Academicis, stu-  
dio Juris consecratis. Audivit verò Jctos celeberrim-  
os, præprimis Consultis. Dn. JOH. BALTHAS.  
WERNHERUM, Potentis. Pol. Reg. & Elect. Sax. à  
Consiliis Aul. & Codicis PP. universum Juris Cursum,  
nec non STRUVII Jurisprud. Rom. G. & Compend.  
Juris ac Manuale ff. à se editum, ut & HUG. GROT. Tr.  
de Jure B. & P. publice explicantem. Præterea Dn. Con-  
sil. Aulici GRIBNERI, ad Praxin Forenssem, & Jus  
Feudale, Dn. GEBH. CHRIST. BASTINELLER,  
Fac. Jur. & Jud. Aulici Assessoris & Pand. P. P. ad Com-  
pendium LAUTERB. Nec non Dn. Consil. Appell.  
& Decret. P. P. HORNII ad Institut. Jur. Can. SCHILT.  
Collegia frequentavit. Quinquennio ita ibidem ab-  
soluto, Notarii Publici munus ab inclyta Facult. Jurid.  
impe-

impe-

impetravit, seque simul examini ipsius quod tentamen  
vocari consuevit, submitit. Cujus voti compos fa-  
ctus, amplum eruditionis probatae, & in foro agendi  
peritiæ, testimonium reportavit. Anno 1717. domum  
rediit & in Praxi Forensi aliquamdiu occupatus fuit,  
donec Fautorum suasu, iter ad exteras Regiones per  
aliquot annorum spatium susciperet. Redux, nos adiit,  
& à nostra Facultate ad Examen Inaugurale, quod vocant  
rigorosum, admitti petiit, & impetravit. Transmissis  
igitur ex Utroque Jure textibus, tempore ad ipsum  
Examen præfinito, comparuit, & talem se præstitit,  
cui janua ad ulteriora specimina Decreto Facultatis a-  
perienda. Quare proximo die 8. hujus Martii Le-  
ctionem suam Cursoriam ad *d. L. cum quidam 19. ff. de  
Lib. & Posth.* post horam 8. matut. hacque finita, Di-  
putationem Inauguralem, sistentem

DECADEM QUÆSTIONUM JURID. THEOR.  
PRACTICARUM,

habebit. Ad quos Actus solennes, Magnificus Dn.  
Rector, nec non reliqui Universitatis Nostræ Proce-  
res & Cives decenter invitantur. Public. sub Sigil-  
lo Facult. Jurid. Erfurti d. 3. Martii Dom. Oculi An-  
no MDCCXX.

L.S.